

diquaque usque adeo doctum , ut Musa-  
rum & Gratiarum manibus videatur for-  
matus fuisse. Limatissimum ejus de Nihilo  
carmen , quum ad unguem sit factum , &  
in arce prope Phidiæ Minervam colloca-  
ri mereatur ; usque adeo placuit veneran-  
do illi Theodoro Bezae , ut singulati quo-  
que Epigrammate commendare voluerit.  
**Q**uum videretur mihi ad antiquitatis ma-  
jestatem assurgere , tanti putavi , ut No-  
tis illustrarem , quas superaddidi , non ut  
eruditionem atque multijugam lectionem  
ostentarem , sed , ut Lectori succurrerem .  
Illud si agere voluissem , volumen sub  
manum natum fuisset. At , nunquam mi-  
hi probari potuit institutum virorum , cæ-  
tera egregiorum , qui , omnia quæ obser-  
varunt , ad unum aliquem Scriptorem  
congerere satagunt. Authoribus , quibus  
per Annotationes destinatur Explicatio ,  
si illæ æquo prolixiores fuerint , obscuri-  
tas procuratur , dum & citationum con-  
fertum agmen , & eorum , quæ præsenti  
instituto minus serviunt , quæsitæ amba-  
ges , Lectorem implicant. Ingenii felici-  
tatem circa Nihilum probavit Passeratius ,  
non omnia tamen , quæ alicui succurrere  
possent ,

edipupid